

90.

1178—1201.

Ärkebisk. ABSALONS stadfästelse på alla Esroms kloster gifna gods, bland hvilka äfven nämnes Motorp i Halland \*).

K. e. 1: 52.

ABSALON Dei gratia sanctæ *Lundensis* Ecclesiæ Archiepiscopus Daciæ & Swethiæ primas, omnibus in Christo fidelibus tam posteris quam præsentibus, in perpetuum. Ad hoc scripto majora facta mandantur, ne uel obliuione uel impiorum hominum sinistris incursionibus infirmentur, qui cum male fecerint, glorientur, & ut exultent in rebus pessimis, solis calumpniis innituntur. Cum autem auctoritas instrumentorum & testium idoneorum subterannotatio rei gestæ seriem protestatur, malignantium præsumptuosa temeritas deprehensa confractaque quiescit, ne quod stultorum vota conceperant, contra iustitiam expleatur. Nos igitur scientes multam filiorum hominum esse malitiam, operibus simplicium & religiosorum talem volumus inesse cautelam, ut si quid ad honorem Dei & religionis augmentum, uel per nos uel per alios senserimus affectui mancipari, omni vigilantia præcaveamus, ne qua possit illud circumuenientum astutia depruari. Noverint igitur tam posteri quam præsentibus, quod venerabilis & devotus amicus noster *Walbertus* Abbas de *Esrom* præsentiam nostram expetiit, postulans & exorans quatenus cænobio, cui præesse dignoscitur, ita gratiæ nostræ favor accederet, ut super omnibus possessionibus & terminis eisdem possessionibus uel a conferentibus in elemosinam, uel a venditoribus præfixis, auctoritatis nostræ privilegio congauderet. Nos igitur prædicti Abbatis justis desideriis benignum impertientes assensum ob reverentiam & honorem omnium conditoris Dei, & salutem animæ nostræ, quod religiosorum expetebant vota, libenter annuimus, & eandem ecclesiam cum omnibus possessionibus suis & terminis eisdem præfixis, sub nostra protectione suscepimus, & præsentibus pagina nominis nostri præfixo karaktere, communiri mandamus, possessionum ejusdem Ecclesiæ subterannotis nominibus. *Esrom* in quo ipsum cænobium est constitutum, & locum in quo erat villa, quæ quondam vocabatur *Tanga* cum omnibus piscationibus & pratis & silvis & cæteris appendiciis. *Withlingerruth*, & terras, in quibus quondam fuerant villulæ *Eschilsholm*, *Langaholm*, *Davisthorp*, cum pratis & silvis & piscationibus. *Haversholm* cum terra in qua quondam fuerat villa dicta *Aholm*, cum silvis & pratis & ad eam pertinentibus. *Birgirsholm* cum villulis suis. *Sacesthorp*. *Horserruth*. *Mulnethorp*. *Nuthorp* cum silvis & pratis & ad se pertinentibus. Grangia *Sande* cum silvis & pratis & piscationibus suis. *Agnasio* cum terris & silvis ad se pertinentibus & villulis. *Tumethorp*. *Haldensthorp*. *Halgersthorp*. *Karlestorp*.

\*) Tid efter annan förnyade stadfästelser på klostrets gods, upptaga äfven Motorp, såsom: Påfv. ALB-  
Sv. Diplom.

*Dachworteholt. Jortheholm. Bothorp. Stenhas. Almsruth.* Dimidium *Toteholt* cum silvis & pratis & cœteris ad se pertinentibus. *Stenholt* cum villulis suis *Gronholt. Thorthethorp. Sunspialholt. Birsethorp. Mulneholt* cum silvis & pratis & piscationibus suis. *Saxolfsthorp* cum silvis & pratis & piscationibus suis. *Mothorp* in *Hallandia* cum silvis & pratis & cœteris attinentiis suis. Tertia pars decimæ totius parochiæ *Esbiörnsthorp*, quam nos eis perpetualiter dedimus. Si quis igitur sciens hanc nostræ constitutionis paginam contraire temptaverit, si non propriæ temeritatis audaciam corrigere condigna satisfactione voluerit, tranquillitatis & pacis religiosorum fratrum perturbator, excommunicationis vinculo innodatus, sancti Spiritus mucrone perfossus intereat, atque cum iudicii dies advenerit, extremæ dampnationi subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Ihesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia pacis æternæ inveniant. Amen.

91.

1180—1192.

Abboten WILHELMUS Bref till Abboten HUGO för JOHANNES Abbot i Lund.

K. k. 6: 62. no. 50.

*Præmonstratensi Abbati.*

Amantissimo Patri & D. Hugoni Dei gratia Præmonstratensi Abbati, Frater WILHELMUS Beati Thomæ de Paraclito minister indignus, intimum dilectionis affectum. Dilectio, qua nos quondam invicem dilexisse probamur nos ad scribendum constanter impellit, quæ non renovari recentioribus possit officiis, quia, nisi fallimur, nullo tempore consenescit. Neque enim fas est studium torpere, quod æqua benignitas compensatione gratiæ muneratur. Pro venerabili autem fratre & Coabbate nostro Johanne de domo Sanctæ Trinitatis in Lundis suscepimus apud clementiam vestram agendum, quia quem benignioris familiaritatis gremio confovemus, nec precibus ejus nec necessitatibus deesse volumus vel debemus, maxime cum ejus opinio a justitiæ tramite non excedat. Vir siquidem simplex & rectus est & recedens a malo. Nec apud paternitatem vestram eum velut ignotum commendamus, qui de vestri testimonii plenitudine gloriatur. Quod si forte quispiam auribus vestris quidpiam intulerit. Ore blasphemo, quo lædi debeat ejus opinio ad vestram memoriam veniat, quod beatus Jeronimus dicit; mendaces faciunt,

XAND. III:s af d. 2 Nov. 1179 (*K. e. 1: 259*) med samma ord; Påfv. CLEMENS III:s af år 1188 (*a. st. sid. 277.*) och CELESTIN: III:s af år 1192 (*a. st. s. 281*): *Mothorp* in *Hallandia* & *Glumstenswig*, cum villis, pratis, silvis & reliquis appendiciis suis; Påfv. GREGOR. IX:s af d. 22 Febr. 1228 (*a. st. s. 108.*) blott: de *Mothorp*; Bisk. PETER i Roskild af år 1211 (*a. st. s. 90 jemf. Årke-B. ANDREAS i Lund s. å. a. st. s. 92*): *Mothorp* in *Hallandia* cum silvis, pratis, aquis, & piscationibus, & omnibus attinentiis in terra & circa mare iuxta *Glumstenwit* & quicquid ibidem habituri sunt iustis emptionibus & fidelium largitionibus.